

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-ſexto menſis Martii, anno Domini M. DCC. LII.

M. JOANNE-BAPTISTA-THOMA MARTINENQ,
FACULTATIS EXDECANO, ACADEMIÆ CENSORE,
PRÆSIDE.

Num in Lithotomiâ, calculi exitus, per ſuppurationem vulneris, expectandus?

I.

MEDICUS, vir probus, mederi ſciens. Naturæ nunc Interpres, nunc Adjutor, ſua ex uno eodemque penu non ſemper mutuatur præſidia. Triplex illi robur, armamentarium triplex; Diæta, Pharmacia, Chirurgia. His tota continetur *Therapeutice*, *Pathologiæ* pars ultima. Vario fidium genere inſtructum decet arcum in manu Sapientis. Diætam, uſui ſex Rerum, quas Nonnaturales vocant, adhibet Medicus.

Pharmaciam, eligendis, componendis, adminiſtrandiſque medicamentis jubet inſervire. Chirurgiam, manualem illam, & Medicinæ miniſtram, tumoribus, vulneribus, ulceribus, fracturis, &c. admoveri, pro ſuo munere præſcribit. Chirurgia quamobrem duplex diſtinguitur: alia Medica, quæ ſolius eſt Medici; *Inſtrumentalis* alia, cujus exercitium Chirurgo non ita committitur, ut ad Medicum quoque non pertineat. Hæc, in ſolidis hæret duntaxat corporis partibus; illa, fluidarum etiam *craſim* conſervat, mutat, reſtituit. Hæc, quæ præter naturam ſeparantur, conjungendo; quæ perperàm conjunguntur, ſeparando; quæ redundant, detrahendo, partes adimplet ſuas. Illa, tota eſt in diſcutiendis, reſolvendis, alterandis vitiatis humoribus; in ſolidis adſtringendis, emolliendis, mundandis, roborandis, præſertimque in deſignandis opportunis ad hæc ritè præſtanda modis atque temporibus. Ad hanc, ſpectat Inſtrumentorum & remediorum exteriorum applicatio *Manualis*; illius, eſt victûs rationem indicare: necnon interna, quæ Pharmacopœus exhibet; & externa, quæ Chirurgus admovet, medicamenta imperare. Hinc conjice, quantùm Chirurgia Medica, ſit *Inſtrumentali* neceſſaria! Patet ſat amplus Chirurgo campus, in quo ſuam cum laude artem exerceat. Quantam in manibus agilitatem dexteritatem-ve, quantam animi conſtantiam; quot & quàm crebrò repetitos operandi habitus Chirurgo ineſſe oporteat, norunt, qui Chirurgorum nomen, Chirurgicâ ſagacitate & induſtriâ, multò latiùs patere, damno ſuo compererunt? Chirurgicum opus, vel ad ſyntheſim, vel ad diæreſim, vel ad exæreſim præcipuè referendum. Tria hæc, licet inter ſe diverſa multùmque diſcrepantia, ad unicum tamen perficiendum opus mutuam præſtant operam, & ſæpiſſimè conferunt. Quod cum aliàs, tum præſertim obſervatur in ſectione ad calculum; quæ vulgò, etſi impropriè, Lithotomia dicitur. A' ſecandis enim integumentis, urethrâ vel veſicâ, auſpicandum: unde diæreſis. Calculus è veſicâ poſthàc extrahendus: unde exæreſis. Veſica tandem ipſa vel urethra, non ſecùs atque integumenta, arte diviſa priùs disjunctaque, arte quoque uniri debent & rursùm coaleſcere: unde ſyntheſis. Chirurgica hæc opera non ſuſcipiat Chirurgus (modò per ipſum liceat) niſi præſente Medico, probante, & conſiliis mentem dubiam, pro re natâ, manumque firmante. Ab amabili, nec interruptâ, Chirurgi ſimul & Medici conſpiratione, quid non ſperandum boni? Mutuo utriuſque veluti concentu, ab eâ potiſſimùm caveretur Lithotomiæ inſtituendæ methodo, per quam calculus è veſicâ feliciter nuſquam poſſet erumpere.

I I.

CORPUS omne durum & ſaxeum, quod in aliquâ corporis parte concretum obſervatur, calculus audit. Lapides in corpore nullibi non generari conſtat autopſiâ. In ventriculo, inteſtinis, hepate, veſiculâ fellis, pancreate, liene, utero, corde, pulmonibus, linguâ, cerebro, articulis, corporiſque partibus aliis quandòque reperiuntur. Si vel in rene, vel in veſicâ ſedem obtineant concretiones illæ importuniſſimæ, mirum quàm excrutient ægros, quos iratis Superis natos eſſe pronuncies! Calculorum in corpore humano mira diverſitas. Ut pondere, conſiſtentiâ,

numero & colore ; ſic figurâ, ſitu, ſubſtantiâ & mole diſcrepant. Generantur illi potiſſimùm, vel crudorum terreſtriumque ſuccorum, vel partis λιθιῶντος, ſive calculo laborantis vitio. Naſcuntur ut plurimùm in renibus, unde in veſicam deturbati ſenſim augentur, ſaburræ quaquaverſùm in urina fluitantis acceſſione. Non aliter ſilices, plurimis denſiſſimiſque in orbem circumvolutis ſaxeis ordinibus, in molem excreſcunt eam, quam & fert ſoli natura, & partium apponendarum ſive copia, ſive inopia. Eſt etiam ubi producitur in veſicâ calculus à vitâ deſide, coëuntibus videlicèt per otium, ſeque invicem prehenſantibus particulis ſalinis, oleoſis atque terreſtribus, quibus conſimiles particulæ, quaſi magneticâ vi alliciuntur, trahuntur, irretiuntur. Sæpiùs deprehenſum eſt ſtupæ pauxillum, globulum plumbeum, aliave id genus corpora, calculi rudimentum extitiſſe. Cujuſvis tamen ponderis & figuræ ſit calculus, quamlibet exerceat corporis partem, quantæcunque ſit molis, vix Chirurgi manum efflagitat, niſi dum in veſicâ continetur urinariâ. Eſt autem urinaria veſica ſaccus in hypogaſtrio ſitus: hinc pubis oſſibus accumbens, indè inteſtino recto in maribus, vaginæ & utero in fœminis incumbens. Figurâ ad ovalem accedit, niſi quòd fundo ſtrictiori, propè collum inveniatur amplior. Extima hujus viſceris membrana peritonæo debetur. Quæ deinde ſequitur, fibris muſcularibus, nunc in orbem non continuatâ ſerie contortis, nunc ſecundùm longitudinem excurrentibus, nunc divergentibus & ſine lege vagantibus conflatur. Tertia nervoſa nuncupatur, non tam à nervorum textu, quàm à ſtaminum componentium firmitudine. Intima demùm appellatur villoſa, à papillis tenuiſſimis, ad ſpeciem quaſi villoſis, quarum beneficio, ut & dulcis cujuſdam ſucci ex interſperſis glandulis erumpentis, adversùs urinæ acredinem veſica ſarta-tecta ſervatur. Pars veſicæ poſtica, non procul ab ejus collo hinc & inde, intùs conſpicitur pervia duobus foraminibus, quæ tubulos ureterum veſicæ membranas obliquo longoque tractu perreptantium definiunt. Tertium veſicæ foramen medio ejus collo circumſcribitur, unde in urethram iter. Nemo neſcit urethram eſſe canalem ſpongioſum & membranaceum, à veſicæ collo in maribus ad penis extremum, in fœminis ad exterius vaginæ orificium ſub clitoride protenſum. In his ſoli urinæ, in illis verò ſemini & urinæ foras expellendis dicatur. Hanc qui partium ſtructuram rectè perpenderit, an non intelliget è veſicæ cavo educi non poſſe calculum, niſi tutò, celeriter & cum ſymptomatibus, quàm fieri poteſt leviſſimis, inſtituantur diæreſis, exæreſis & ſyntheſis ad Lithotomiam requiſitæ?

III.

LITHOTOMIAM temerè non aggrediatur Chirurgus. Conſtet ipſi priùs calculum in veſicâ nidulari, quod ipſe ſuſpicari poterit his ſignis. Æger dolorificam meïendi difficultatem, urinæ ſtillicidium, incontinentiam, ſuppreſſionemve experitur. Faceſſunt negotium gravis in perinæo ponderis ſenſus, & oberrans titillatio moleſta circa pubem, ad extremam uſque glandem in viris pertingens. In glande, ſtatim ab exoneratâ veſicâ, acerba quandoque percipitur lancinatio. Urgent nonnunquam inutilis & tædioſa deſidendi cupiditas, virilium erectio frequens, & præ-

ter voluntatis imperium. Mox crura miſer ad lotii tolerabiliorem exitum decuſſat; mox pubem & genitalia ſcalpit, premit, ſtringit; huc accedunt ani procidentia; urina modò tinctâ ſanguine, modò craſſa, turbida & ſabuloſa, quæ recto corpore derepentè ſiſtitur interdùm, reſupinato autem liberiùs effluit. At præ anxietate, nec in eodem loco vel ſitu diù manere poteſt calculoſus, nec rhedâ vehi, nec in equo ſedere, nec ſaltare, nec titubare, nec pedem in quodvis ſolidum corpus impingere ſine ſenſu doloris circa perinæum atrociſſimo. Hæc quidem ſigna nec omnia in omnibus, nec æquè manifeſta. Non priùs igitur ad ferrum deveniat Lithotomus, quàm immiſſo in ægri anum digito, vel introducto in ejus veſicam cathetere, calculum tactu exploret certóque deprehendat. Catheter à mediâ circiter ad extremam ſui partem, virorum gratiâ, incurvatus ſic introducatur, ut ejus manubrium ægrotantis abdomini, contra quàm fieri ſolebat, primùm accedat, dein, quâ proportione per urethram ingreditur in veſicam, ab abdomine receſſurum. Hâc arte, nec læſeris cartilaginem pubis oſſibus, quâ divaricantur, agglutinatam, nec hîc loci affixo & urethræ circumducto ligamento offenderis, in quod ſi fortè parùm gnarus artis, operator catheterem impingit, *carnoſitatem* urethræ, neſcio quam, ſtatim incuſat, obtenditque velum errori ſuo. Ubi vel digito, vel cathetere de calculo conſtiterit, ad ſectionem properabit Chirurgus, modò id & ægri vires ferant atque valetudo. His præſuppoſitis, ægri tum corpus, tum animum ad id operis, jubente Medico, præparari neceſſum eſt. Sectionis ad calculum, quadruplex præſertim methodus, ſuo quæque metuenda periculo. Apparatum appellant, quem in parvum, magnum, altum & lateralem partiuntur. Parvus non niſi in puerulis & infantibus, idque rarò, uſurpatur. Magnus à multis jam annis per totam ferè Europam eſt in uſu, eoque non infelici. Altus & lateralis à Galliâ neglecti, ad Angliam potiſſimùm confugere. Unicuique apparatui ſeu methodo, ægri collocandi modus peculiaris, peculiaria inſtrumenta; quæ perſequi ſingula nec vacat nobis, nec jam expedit. In parvo apparatu, Chirurgus oleo inunctos ſiniſtræ manus digitos, indicem mediumque, in laborantis anum inſinuat, alterâ interim manu hypogaſtrium ſenſim premente, quò faciliùs explorari calculus poſſit, & ad perinæum uſque ſollicitando deduci. Calculus deinde inter immiſſos in annum digitos & perinæum continetur, propelliturque tandiù, quoàd extrorsùm emineat tumor atque ſentiatur. Tum Chirurgus ſuper prominentem in veſicæ collo tumorem facto in longum vulnere, calculum ſpontè prodire renuentem, vel digitis eximit, vel forcipibus aliiſve inſtrumentis extrahit. In magno apparatu catheterem ſulcatum Chirurgus in veſicam immittit; Miniſter deindè ſcrotum attollit, ejuſque ſuturam in alterutrum perinæi latus, puta dextrum, ab inciſionis loco detorquet, dum in ſiniſtrum perinæi latus protuberantem intromiſſi catheris curvaturam dirigit atque impellit; poſt Chirurgus, dextrorsùm tractâ perinæi cute, urethram ſcalpello ſuprà catheteris ſulcum incidit, ſalvo intactoque recto inteſtino. Inciſione peractâ, conductor mas primùm inditur in vulnus, dein ablato cathetere, conductor fœmina, vel horum loco conductor Hildani, Gallicè *Gorgeret*; & hæc quidem Chirurgus ſiniſtrâ dum tenet manu, dextrâ forcipem dentariam, ægrotantis ætati vulnerique accommodam, intrò adigit, ſursùm

deorsùmque movendo, ut vulnus perpendiculariter & recto tenore dilatetur. Retractis conductoribus, ampliando veſicæ oſtio dilatandæque cervici intentus Operator, forcipem utrâque manu aperit, huc illuc agitat, quærit calculum, repertumque ſic apprehendit, ut intrà forcipis alas detentus, uno ferè momento educatur. In alto apparatu, vel Miniſter, immiſſis quos jam deſignavimus in anum digitis, calculum ad ſtrictiorem veſicæ partem versùs umbilicum protrudit, vel veſica ab infuſo liquore tepido ſic intumeſcit, ut ſcalpello ſui copiam faciat. Tum Lithotomus paulò ſuprà pubem & ad lineæ albæ latus, inter pyramidales muſculos, ſi qui ſint, ſecundùm recti muſculi longitudinem, integumenta hypogaſtrii primùm ad oſſium pubis uſque commiſſuram, deindè veſicæ corpus ſecat, digitis aut forcipe calculum extracturus. In laterali demùm apparatu. (*) Ægro, toto ſupino corpore, (ut fit in *Celſico*), natibus elatioribus, cruribus deductis, reductis & deligatis, vel ſiniſtro tantùm, dextro pendente & libero (ſicut Fratri JACOBO placebat); catheter profundiùs ſulcatus, & majoris curvaturæ, quæ deſinat in roſtrum longius rectiuſque, à Chirurgo eâ demittitur ratione, ut convexa pars ſulcata ſiniſtrosùm obvertatur à fornice oſſium pubis ad tuber Iſchii, ductu parallelo, juxtà illam Iſchii partem quæ ſuperior eſt ramus; tum parallelo eodem ductu, cute primùm apertâ cum pinguidine, propiùs veſtigatur catheter digito in vulnus immiſſo, ut mucro ſcalpelli punctim demiſſi certiùs imprimatur ſulco, & fit inciſio ad tuber Iſchii, ab angulo in quem, accelerator & erector penis coeunt muſculi. Sic aperiuntur prima pars urethræ, tum ſphincter & veſica, quâ illum contingit, patente ſatis vulnere, ut calculus, etiam major, induſtriâ potiùs, quàm ullâ vi, educi queat. Sed quamlibet ex recenſitis methodum ſequaris, cuicunque inſiſtas operandi viæ, ludes operam, niſi calculum ſtatim eduxeris. Hujus exitum vulneris ſuppurationi ſi credideris, exæreſis & ſyntheſis ad Lithotomiam neceſſariæ, neque tutò, neque celeriter, neque cum ſymptomatibus, quàm fieri poteſt leviſſimis, inchoabuntur, promovebuntur, abſolventur.

(*) Emendato videlicet atque correcto, quemadmodùm videri poteſt in eleganti & eruditâ quæſtione Medico-Chirurgicâ, quam concinnavit, & de quâ diſputavit non ſemel Magiſter CAMILLUS FALCONET, in Scholis Medicorum Pariſienſium, diebus 11. Maii 1730. & 21. Maii 1744. ſub hâc verborum ſerie: *An educendo calculo cæteris anteferendus apparatus lateralis?*

I V.

VULNERIS ſtrictè ſumpti nomine intelligitur continui ſolutio recens & cruenta, puris & corruptionis expers, in partibus corporis mollibus præſertim hærens. Communis & præcipua ſanandi vulneris indicatio, eſt unio partium disjunctarum. Hæc ſucco debetur nutritio, ſoli quidem, ſi levius; ab arte adjuto, ſi gravius vulnus eſſe contigerit. In arte primum illud eſt, mundare vulnus, atque expurgare. Hinc colliges eximendum eſſe quamprimùm è vulnere quidquid intùs latet, quod, nec cum corpore ſecundùm naturam cohæret, nec coagmentandis diviſis partibus non modò non prodeſt, ſed & quàm maximè obeſt & adverſatur. Uſus invaluit, hoc ut corpus peregrinum vel

extraneum nuncuparetur: hujus igitur extractio, dum licet & expedit; quò citiùs, eò auſpicaciùs inſtituitur; moras enim ſi traxerit in corpore, dolorem, inflammationem, tumorem, putredinem, fluxionem acceſſet, & vulnus à coeundo prohibebit. Quòd ſi corpus extraneum, vulnus quidem non inflixerit, ſed ut infligatur admoneat, an idcircò cunctandum, donec opportunum ipſi ſcilicet viſum fuerit exire? Minimè gentium. Extrahendum eſt vi & induſtriâ, quantâ fieri poteſt celeritate, ſi opus: dein ad vulneris labra conjungenda properandum. Quis porrò, in arte vel mediocriter verſatus abſurdum eſſe non judicet, calculi exitum à ſuppuratione vulneris exſpectari debere? In Lithotomiâ circa ſeptimum, octavum, vel nonum ferè à ſectione diem, pus in vulnere apparet. At à calculo ad ſuppurationis tempus in veſicâ relicto, quàm atrocia in dies pullularent ſymptomata! Qui calculum ſuppurationi committunt, illi vulnus turundis implent ac præter modum diſtendunt, relictâ tantùm parvulâ aperturâ recipiendo catheteri, per quem urina fluat, idoneâ. Quis autem non videt, à comprimente vulneris labra turundarum importuniſſimâ mole, inflammationem febremque accerſi? Quis non intelligit à partium vulneratarum diſtenſione nimiâ & dilaceratione, præſentiſſimum vitæ periculum ægro imminere? Quis demùm non perſpicit à catheteris moleſtiſſimâ duritie, vulnus calloſum atque fiſtuloſum evadere? Quid quòd in ſuſcipiendo perficiendoque opere Chirurgico cavendum imprimis, ægro deſit quies. At quonam modo poteſt non eſſe anxius & quaſi animo deſpondere, cùm, hinc inflictum vulnus, inde comes calculus ejus animo dies noctesque obverſantur? Faceſſant igitur, qui cunctando peſſumdant rem. Conſtat experimentis, tum alibi ſæpiùs tentatis, tum in magno Lutetiæ Pariſiorum Noſocomio confirmatis, calculum, ex inflicto vulnere non ſtatim extractum, nunquam eſſe beneficio ſuppurationis egreſſum; imò calculoſos ad unum omnes, vel antè, vel inter ſuppurationis tempora periiſſe. Hinc uſu venit, ut non modò calculus integer, verùm etiam calculi, ſi fortè diſſiluit, fragmenta nunquam ſuppurationi educenda relinquantur. Hinc injectionum ad veſicam detergendam utilitas, quæ ſi minùs benè ceſſerint, in auxilium vocantur ſpecilla auricularia & cochlearia. Hæc enim veſicæ cavum à lapillis, arenulis, ſanguinis grumis, aliis-ve corporibus extraneis repurgant, expediunt, vindicant. I nunc, & hæc quidem ſuppurationi non credenda; integrum verò calculum ſuppurationi committendum, ſi lubet, autuma.

V

QUEMADMODUM tempeſtivam celeremque ſui eductionem & Chirurgiæ ferrum expoſcit calculus, ſic lithontrypticam agyrtarum Pharmaciam reſpuit. Neminem latet, cujus indolis ſint medicamenta, quæ lithontrypticorum nomine vulgò circumferuntur. Concutiunt vaſa, fibras motrices criſpant, fundunt ſanguinem, ſæpiùs meïendi neceſſitatem inferunt, creant vigilias, dolores intendunt, febrem ſecum trahunt comitem, nec interim ad conterendos calculos plus faciunt, quàm ad mortuos excitandos Præficarum neniæ; imò continuato ſalis urinoſi terreſtriumque molecularum impulſu, veſicæ calculo nunquam non

aliquid addunt, nedum detrahant. Celebratur tamen hodie remedii (*) genus, recens (**) inventum, experientiâque multiplici & repetitis Virorum fidè dignorum ſuffragiis, ut aiunt, comprobatum, quod ore aſſumptum deglutitum-ve, necnon ſanguinis vias ingreſſum, ſaxeam interdum prædicatur ſolviſſe molem, eamque in renibus aut in veſicâ nidulantem. Sed eſto: ſuus huic invento tribuatur honos; ſua laus experientiæ, conceditur. At quoties ad Chirurgicum opus, recurrendum; quoties Lithotomia inſtituenda: calculoſi toties ferro quamprimùm ſunt adoriendi; toties calculus ipſe quàm ocyſſimè per artificioſi foraminis hiatum eximendus, ejuratâ præpoſteræ ſuppurationis fide, quam ab evidenti periculò non dixeris immunem. Verùm, inquies, ſuppurationis neceſſitatem indicant ægri vires imbecilliores, quàm ut perferendis eximendi calculi ſuppliciis poſſint pares eſſe judicari? Egregius ſcilicet nodus; quem ſolvere ſi quis voluerit, meminerit ille nonniſi proſperâ aliundè valetudine & conſtantibus ægri viribus Lithotomiam eſſe ſuſcipiendam. Adde quod, ſi qui ſunt ſtatim ab inflicto vulnere dejectis proſtratiſque viribus deprehenſi calculoſi, iis tamen calculus poſt ſecundum, tertium quartum-ve ab incœptâ operatione diem, non ſuppurationis, ſed Chirurgicorum inſtrumentorum beneficio; non naturæ, ſed artis ope feliciter eſt extractus. Quid porrò fiet de prægrandi calculo? Vetamus quidem prægrandem calculum ſuppurationi, jubemus autem Lithotomum turpitudinis notæ ſaltem addici, ſi non perſpectâ ſatis & exploratâ calculi magnitudine, ad opus acceſſerit. Nec obortam nonnullorum incuriâ inter operandum hæmorrhagiam, expectandæ ſuppurationis anſam arripias. Ceſſandum ab opere, donec ſiſtatur ſanguis; deinde, quod adminiſtrationi Chirurgicæ defuit, abſolvendum. Verùm enim verò audire mihi videor qui præfrictâ fronte defendant quandoque calculum membranâ veſtitum veſicæ fornicibus adhærere; nec proindè vi atque forcipibus avellendum, ſed ſuppuratione leniter eliciendum. At quantùm hallucinentur, indè colliges, quòd calculus membranâ circumſeptus, (Avis in terris rariſſima) dolores atrociſſimos ſibi comites non adſciſceret; quòd ab involucro haberet incrementi obices vix ſuperabiles; quòd ægrum oppoſitæ parti innixum mirum quantùm cruciaret; quòd à catheteris alliſu ſonum aut nullum, aut quàm maximè obſcurum ederet. Si quis objecerit ex impacto in calculum cathetere, ſonum fuiſſe nullum à quibuſdam Lithotomis quandoque perceptum; Reſpondemus, Lithotomorum id accidiſſe culpâ; qui interceptæ catheterem inter & calculum, ad veſicæ collum, membranæ parùm attendentes, errorem ſuum in calculi fictum integumentum falſamque membranam tranſtulerunt. Quid quòd pronum eſt credere humoris viſcoſi è veſicæ glandulis jugiter effluentis lubricitatem obſtare, ne calculus veſicæ parietibus adnaſcatur. In apertis cadaveribus repertos eſſe non ſemel globulos plumbeos, aliaque id genus peregrina corpora ſine cohæſionis vinculo docet Anatome. Quidni calculum pariter in veſicâ coalitûs expertem contineri pu-

(*) Conſtat remedium hoc teſtis ovorum calcinatis & Sapone Alicantino, vel in lacte Vaccino, vel in alio liquore idoneo, ſeorſim, aut ſimul exhibitis.

(**) Hujus inventrix habetur JOANNA STEPHENS, è ſtirpe generosâ, in Comitatu *Berks*, apud Anglos oriunda. Vide DAVID. HARTLEY, Medicum Londinenſem, in Epiſtolari Diſſertatione ad Medicos exteros.

temus, teſtantibus præſertim peritiſſimis Lithotomis hujuſce modi nihil à ſe, nec in vivis hominibus, nec etiam in demortuis unquam fuiſſe detectum? Quamobrem ergò Lithotomorum vulgus membranam nobis ſuam, quàm ineptè, tam audacter obtrudit. Nimirum homines iſti, quoties aliquam veſicæ portionem cum calculo foràs extrahunt diſcerptam atque dilaceratam, toties opportuniſſimo pelliculæ calculum involventis figmento, culpam conantur obſcurare. Hinc intellige quanti ſalutis humanæ interſit Lithotomiam nonniſi ab exercitatiſſimis in arte celebrari. Hinc æſtima quantum rationis & conſilii, vel ante, vel poſt, vel in ipſo opere, rei benè gerendæ neceſſarium, in medium afferri oporteat. Hinc demum conjice, cur in magno & celeberrimo Lutetiæ Pariſiorum Noſocomio, ſectionis ad calculum teſtes adhibeantur *Adminiſtratores*; ſectioni præſint Auctores, Duceſque Medici.

Non ergò in Lithotomiâ, per ſuppurationem vulneris, expectandus calculi exitus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Franciſcus Boutigny des Preaux.

M. Petrus Lalouette.

M. Petrus Macquer, utriuſque Pharmaciæ Profeſſor, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Cenſor Regius.

M. Joſephus-Maria-Franciſcus de la Sone, Domûs Reginæ Medicus ordinarius, Cenſor Regius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Julianus Buſſon.

M. Petrus Bercher.

M. Guillelmus-Joſephus De l'Epine, antiquus Facultatis Decanus.

M. Ludovicus-Hieronymus Coſnier.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA BASSEVILLE, Ambianus, ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1752.